

Plane incerta interpretatio; Buecheler mus. Rhen. 36, 1881 p. 255 seq. sic fere accipiendum putat: lovi Saturno deis qui me mittat, ne te intus comes virgo sit adstet, nisi Opi Tutesiae pacari vis; Duenus me fecit propter mortuum et die noni me mano sistito. — Paullo aliter Iordan l. c. (comis virgo sit, ast nisi cet.); aliter denique Thurneysen Zeitschr. f. vergl. Sprachforschung 33, 1899 p. 212.

Fasti anni civilis et rustici.

8744 Tabula anni civilis (Iuliani) Maffeiana.

(Textum v. pag. 988—991.)

Romae saec. XVI in domo Maffeiorum, tabula marmorea, nunc periiit praeter pauca fragmenta (1 ed. 1 p. 505—507, ed. 2 p. 222—226; omisi reliquias laceras praescriptionis, ubi nomina privatorum quorundam perscripta erant qui fastos hos et nescio quae opera cum iis coniuncta collocanda curaverant).

Scripti sunt fasti hi 'Maffeiani' imperante Augusto, inter annos ut videatur 746, quo mensis Sextilis Augusti nomen accepit, et 757, quo dies 26. Iun. propter adoptionem Tiberii in diem festum mulatus est (cf. p. 989 ad 26. Jun.). Eiusdem fere aetatis sunt reliqui fasti lapidibus incisi qui ad nos pervenerunt (de celeberrimis Praenestinis cura Verrii Flacci Praeneste in foro collocatis vide p. 995), nonnulli incisi sunt sub Tiberio, Antiales (CIL. I ed. 1 p. 328, ed. 2 p. 248) sub Claudio. Omnes plus minus mutili ad nos pervenerunt; in solis fastis his Maffeianis ordo duodecim mensium paene integer superest. Composuit fastorum horum reliquias Mommsen CIL. I ed. 1 p. 298—551, ed. 2 p. 210—252, additis fastis saec. IV et V in litteras relatis et amplissimo commentario (qui nuper accesserunt, eos vide CIL. VI p. 5345).

Constant autem fasti lapidibus incisi notis his: 1) litteris alphabeti octo primis (A—H) continuo ordine repetitis et usque ad finem anni aequabiliter decurrentibus, quibus indicantur nundinia; 2) nominibus dierum, quibus nomina propria erant, scilicet kalendarum nonarum iduum KAL., NON., ID. (vel EID), ad kalendas mensis quoque nomine adposito, et feriarum anni Romani antiquissimarum quadragesinta quinque AGON., CAR., LVPER. etc. (cf. infra ad Ian. 9. 11. Febr. 15. cet.), quibus additus a. 739 dies Augustalia (cf. ad Oct. 12); 3) litteris quibusdam quibus condicio unius cuiusque diei significaretur, utrum fastus (F) an comitialis (C) an nefastus esset (N); diebus fere quinquaginta adscripta est nota N, scilicet feriis illis plerisque, praeterea iduum diebus omnibus et kalendis Martiis, litterae N forma ut videtur peculiaris, qua nefastum hilarem significari putabat Mommsen (sed cf. Wissowa Religion d. Römer p. 374); diebus octo adscriptum est EN, significans diem endotercisum sive intercisum (cf. ad 10. Ian.); de aliis quibusdam dierum notis vide ad 24. Mart. 24. Mai. 15. Iun. 19. Aug. Haec, servata ex anni antiqua ordinatione, aequabiliter recepta sunt in fastos aevi imperatorii ibique expressa sunt litteris maioribus; litteris minoribus adscripti sunt ludi temporibus liberae rei publicae instituti; de diebus festis et sacris variae adnotationes; adnotationes historicae, ad domum Caesarum potissimum pertinentes; in fastis Praenestinis praeterea doctissima interpretamenta Verrii Flacci. Plenissime haec exposuit Mommsen CIL. I ed. 1 p. 362 seq., ed. 2 p. 284 seq. Cf. praeterea Marquardt Staatsverw. III (ed. 2) p. 288—294. 567—589; Wissowa Religion und Kultus der Römer p. 567 seq. 491 seq.